

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. VIII. Ceruus et Boues.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

Maior ut plurimum ex diuitiis calamitas.

Suis muli onusti duo agebantur sarcinis. Alter fiscos portabat multa repletos pecunia. Alter impari onere saccos hordeo refertos atque tumentes ferebat. Ille suis elatus diuitiis incedebat, suam fastu insigni erigebat ceruicem, atque collum iactitabat claris ornatum tintinabulis. Hic impari spretus onere, collum deprimens, humili ac placido sequebatur gradu. Peregrinantes repente ex insidiis opprimuntur a latronibus, qui trucidant multos, suis opibus superbientem contundunt mulum, diripiuntque nummos; at vile hordeum intactum relinquunt. Cum ergo misere laceratus calamitatem deploraret suam: securus demisso capite comes, ego vero, inquit, contumelia laetus sum mea: neque enim mihi rapta sunt bona; neque vulnera patior et plagas. Patet inde, quam secura soleat esse hominum paupertas; et quantis periculis vulgo exponantur diuitiae, quibus adeo mortales praeter merita tument.

FAB. VIII.

Cervus et Boves.

Cervus nemorosus excitatus latibulis,
 Ut venatorum fugeret instantem necem,
 Coeco timore proximam villam petit,
 Et opportuno se bouili condidit.
 Heic Bos latenti, quidnam voluisti tibi
 Infelix, vltro qui ad necem concurreris,
 Hominumque tecto spiritum commiseris?

At

At ille supplex: Vos modo, inquit, parcite,
 Occasione rursus erumpam data.
 Spatium diei noctis excipiunt vices. 10
 Frondem bubulcus affert, nec ideo videt.
 Eunt subinde et redeunt omnes rustici,
 Nemo animaduertit: transit etiam villicus,
 Nec ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus
 Bobus quietis agere coepit gratias, 15
 Hospitium aduerso quod praestiterint tempore.
 Respondit vnus: saluum te cupimus quidem,
 Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,
 Magno in periculo vita vertetur tua.
 Haec inter ipse dominus a coena redit: 20
 Et, quia corruptos viderat nuper boues,
 Accedit ad praesepe: cur frondis parum est?
 Stramenta desunt. Tollere haec aranea,
 Quantum est laboris? Dum scrutatur singula,
 Cerui quoque alta est conspicatus cornua. 25
 Quem conuocata iubet occidi familia,
 Praedamque tollit. Haec significat fabula,
 Dominum videre plurimum in rebus suis.

Quisque sibi proximus ipse, et maxime fidus.

Ceruus, venatorum per siluam clamoribus,
 suis excitatus latibulis, vt imminentem fuger-
 ret necem, coeco impetu semet timidus reci-
 pit in proximam villam, et commodo se abdit
 inter boues stabulo. Vbi cum bene sibi vide-
 retur latere: quidnam, bos inquit, conaris in-
 felix, vt tua sponte ad exitium ruas, tuamque
 vitam ad profundendam, hominum tecta
 quaeras? At ille supplex, vos modo, inquit,
 par-

parcite misero : et subito , mox data mihi occasione, erumpam. Vesperascit enim, et tegere me potero noctis umbra , Bubulcus stramentum et pabulum affert, neque largiori distributione obseruat ceruum. Reliqui, vt agrum coluerunt, serui adueniunt redeuntque omnes, praeterquam quod respexerint hospitem: quem nec ipse villicus animaduertit. Rerum prospero successu ceruus laetatur, et bobus agit gratias, quod precibus reliquerint locum, aduentantibus se prodere noluerint, atque suspiciosissimis temporibus adeo gratum et iucundum sibi praebuerint hospitium. Ex illis tum vnus, saluum, respondet, nos quidem te esse cupimus : at dominus si venerit, ille qui centum oculos habet, atque res suas inquit paulo accuratius : in capitis maximo te sentimus versari periculo. Interea temporis post coenam familias ipse venit pater, et quia cognouerat aliquando male habitos fuisse boves, perscrutans omnia propius ad praesepe accedit. Cur, inquit, pabuli tantillum superest? Cur et stramenta deficiunt? Cur ipsa aranea, quae occupant omnia, tollere nemo potuit? Singula dum perspicit : cerui quoque magna obseruat cornua : seruisque conuocatis praecipit, vt trucident eum, atque in culinam transferant. Haec fabula docet, longe maximam esse domini in rebus suis curam, qui omnia perspicere ac diligentius tractare soleat.

EPI-

EPILOGVS.

Aesopo ingentem statuam posuere Attici,
 Seruumque collocarunt aeterna in basi:
 Patere honoris scirent vt cunctis viam,
 Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.
 Quoniam occuparat alter, ne primus forem, 5
 Ne solus esset, studui, quod superfuit.
 Nec haec inuidia, verum est aemulatio.
 Quod si labori fauerit Latium meo:
 Plures habebit, quos opponat Graeciae.
 Si liuor obtrectare curam voluerit: 10
 Non tamen eripiet laudis conscientiam.
 Si nostrum studium ad aures peruenit tuas,
 Et arte fictas animus sentit fabulas:
 Omnem querelam submouet felicitas.
 Sin autem ac illis doctus occurret labor, 15
 Sinistra quos in lucem natura extulit,
 Nec quicquam possunt, nisi meliores carpere:
 Fatale exitium corde durato feram,
 Donec fortunam criminis pudeat sui.

Inuia virtuti nulla via.

Athenienses magnam Aesopo statuam posuerunt, atque, seruum vt immortalitati consecrarent, aenea illum ornauere columna: vt omnes scirent, sibi patere ad honores viam, neque gloriam generi, sed virtuti tribuendam esse. Is quoniam hoc fecit, vt primus esse nequeam: ego in id enitar, solus ne esset. Quod quidem non inuidia, sed aemulatione ductus perficiam. Si quando conatui meo Latium et patria fauere velit: plures certe in la u-

mentis immortalem sibi parare potuerunt nominis famam : cur ego , qui propior doctae sum Graeciae , vecors et iners patriae gloriam tueri non auderem ? Thraces magni profecto faciunt scriptores suos , et Linum celebrant , Apollinis filium , Musaque parente illustrem Orpheum , qui cantus incomparabili suauitate saxa ferasque mouit , et cursum vehementiorem Hebri in Thracia fluuii retardare potuit. Procul ergo hinc , procul esto omnis liuor : ne frustra te maceres , artusque rumpas : a posteris quoniam ego mihi certam promitto laudem. Vt ego te voluptatis atque commodorum spe indubia ad lectionem fabularum pellexi : obsecro te , nobilis Eutyche , vt candor tuus multis iam rebus mihi cognitus et perspectus fuit , sincerum quoque et minime fucatum iudicium , et quid de libellis meis sentias , ingenue mecum communicare velis.

F A B. I.

Anus ad amphoram.

Anus iacere vidit epotam amphoram,
 Adhuc Falerna fece et testa nobili
 Odorem quae iucundum late spargeret.
 Hunc postquam totis auida traxit naribus :
 O suavis anima ! quale in te dicam donum §
 Antehac fuisse ; tales cum sint reliquiae ?
 Hoc quo pertineat , dicet , qui me nouerit.

*Optima studia iuuentutem agunt , senectutem
 oblectant.*

Anus vas conspicit omni exhaustum vino :
 D 2 quod